Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2329
Quelle:
Copyright:

Jam tibi ſyria, magnaque grecia diſplicuerunt,
Que noua fercula, grataque pocula non tribuerunt.
Inde libentius ad maris iſtius arua ruiſti;
Nam fore dulcia noſtra cibaria iam meminiſti.
Non ſine crimine pulſus ab ordine pontificali
Vis modo ſurgere non ſine crimine Symoniali.
Hec tibi ciuibus urbis ab omnibus improperantur,
Cum ſacra predia per tua premia diripiantur.
Sed tua premia ſemper inania nil ualuerunt;
Nam tibi proſpera talia munera nulla dederunt.
Per tua munera percutis aera nil operando,
Per tua munera deſeris ethera preuaricando.
Jam patet omnibus iſtud agreſtibus, haut fore dignum,
Pontificalia uelle ſedilia quemque malignum.
Quod cupis, omnibus eſt fugientibus hoc tribuendum.
(Hujus verſus ὁμοιοτελευτον deeſt)
Deſere (deſine?) *querere, quod tibi ſumere lege uetatur.*
Deſine querere, quod cito perdere non dubitatur.
Plana locutio, ſed (nec?) *grauis actio te comitatur,*
Que ſimulatio, non operatio, recte uocatur.
Hec lege ſepius et ſtudioſius, ut tua cura
Non petat amplius immoderantius hec ſacra iura.

Autorne *Bernardus Morlanenſis?* Quis vero exautoratus hic Epiſcopus, certe occaſione *Cruciatarum* in *Graeciam*, *Syriam*que delatus? Dicant, qui in Exemplum *Nominibus* inſignitum inciderint.

III. *fol.* eod. *Reſponſio predictis verſibus.* Inſcriptionem hanc vagam exiſtimo; non enim defenſio eſt impetiti Epiſcopi, ſed mera Monachorum criminatio, quam ſine Autoris nomine in *Collect. ſuprac.* p. 489. primus edidit *Math. Flacius*, et *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. VII. p. 111. ex eo repraeſentavit ſub *Gualonis Cambrobritanni* nomine, qui circa an. 1160. aut 1170. claruiſſe dicitur. Eidem tribuit et *Leyſerus* in *Hiſt. Poet.* p. 434. et *Tannerus Bibl. Brit.* p. 352. omnes ſecuti *Job. Balei* Catalogum *Cent.* III. p. 214. *n.* 5. cujus fides, vel ipſo *Whartono* teſte *Praef. in Angl. ſacr.* T. I. non raro vacillat. Itaque et *Beaugendreus* Satiram hanc inter *Marbodi* Ep. *Redonenſ.* Carmina ad calcem Opp. *Hildeberti Cenomanenſ. Pariſ.* 1708. *col.* 1629. reproduxit. Quid vero, ſi potius ad *Wycardum* vel *Wichardum* Canon. *Lugd.* pertineret? Scripſiſſe illum *Satiram in quosdam* eodem, quo ipſe, metro *dactylico leonino, verſuum plus minus triginta* perhibet in ſuo ad *Petrum* Abb. *Prologo ſupracit.* *Bernardus Morlanenſis*, extare